

*Roberto d'Angiò consente la donazione
di Enrico Ruffo al figlio Guglielmo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Roberto d'Angiò consente la donazione
di Enrico Ruffo al figlio Guglielmo*

1317-04-02

Robertus Dei gratia Rex Hierusalem et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii, ac Pedemontis Comes. Universis presentes literas inspecturis tam presentibus quam futuris.

Subiectorum nostrorum compendiis, ex affectu benigne charitatis accedimus, quo fit ipsorum petitionibus gratis assensum facilem benignius prebeamus. Sane a Guglielmus Ruffus de Sinopulo, magister scuterie Caroli primogeniti nostri carissimi Calabrie Ducis, et in Regno nostro Sicilie Vicarii Generalis fidelis noster, sua nobis expositione monstravit quod Enricus Ruffus miles, Dominus Sinopoli pater suus, ex Patrie charitatis instintu gratiose dedit, donavit, et tradidit eidem Guglielmo nato suo, feudum Carbelli situm in terris et tenimentis Giraciis et Bubalini de Iustitiaratu Calabrie quod idem Dominus Enricus sub servitio sexte partis unius servitii militaris a quondam Domino Sinopolis tenuerat in feudum cum iuribus, et pertinentiis suis omnibus, salvo tamen in hoc nostre Maiestatis assensu prout in quondam scripto publico inde sumpto dicitur clarius contineri. Humiliter per eum supplicatione subiuncta, ut dationi, donationi, et traditioni huiusmodi assentire, illaque confirmare de gratia dignaremur. Non autem nostrorum fidelium acta complenda gratis affectibus prosequentes ipsius Guglielmi supplicationibus graciosius exauditi, dationi, donationi, et traditioni premissis, quas alias provide facte sunt, petitum prestamus assensum eosque non obstante, quod super feudalibus processisse noscuntur de certa nostra scientia, et speciali gratia confirmamus. Predistinto feudali servitio, et maiori si mavis forsitan debeatur fidelitate quoque nostra, nostris aliis et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis.

In cuius rei testimonium presentes literas fieri, et pendente Maiestatis nostre Sigillo iussimus communiri. Datum Neapoli, per Bartholomeum de Capua militem Logothetam, et Prothonotarium Regni Sicilie. Anno Domini millesimo trecentesimo decimoseptimo 1317. Die quarta Aprilis decime quinte inditionis, regnorum nostrorum anno octavo. Registrata per totum, presentatam in iudicio et apud acta die 26 Augusti septime inditionis, apud Monteleonis. Adest sigillum.

Dalla nota d'autentica finale si evince che la copia è stata estratta per uso giudiziale.